

theologiæ gradibus insignes erant, ibidem in monte Martyrum prima ordinis fundamenta jecit: quem postea Romæ instituens, ad tria consueta quarto addito de missionibus voto, sedi apostolicæ arctius astrinxit: et Paulus tertius primo recepit, confirmavitque: mox alii Pontifices ac Tridentina synodus probaverunt. Ipse autem misso ad prædicandum Indis Evangelium sancto Francisco Xaverio, aliisque in alias mundi plagas ad religionem propagandam disseminatis, ethnicae superstitioni hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, et institutam ab eo Societatem objecisse.

✠ Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✎ Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vj.

SED in primis inter catholicos instaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, catechismi traditio, concionum ac sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accipere. Ipse apertis ubique locorum ad juventutem erudiendam in litteris ac pietate gymnasiis: erectis Romæ Germanorum collegio: male nuptarum periclitantium puellarum cœnobiis: utriusque sexus tam orphanorum quam catechumenorum domibus: aliisque pietatis operibus, indefessus lucrândis Deo animis instabat; auditus aliquando dicere, Si optio darétur, male se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire, et proximorum salutem, quam certum ejusdem gloriæ statim mori. In demones mirum exercuit imperium. Vultum ejus cœlesti luce radiantem sanctus Philippus Nérius aliique conspexere. Denique ætatis anno sexagesimo quinto, ad Domini sui amplexum, cujus majorem gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quæserat.

emigravit. Quem Gregorius decimus quintus, magnis in Ecclesiam meritis et miraculis illustrem, Sanctorum fastis ascripsit.

✠. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia. Dominus et Salvator. cum ✠✠. ut in Festo S. Vincentii a Paulo. 553.

Vesperæ de sequenti.

Festa Augusti.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. [224]

DIE I. AUGUSTI.

S. Petri ad Vincula.

Duplex majus.

Omnia hic non propria de Communi Apostol. [2]

IN I. VESPERIS.

Antiph. et Capitulum de Laudibus, 654.

Hymnus.

Miris modis repente liber, ferrea Christo jubente vincula Petrus exiit: Ovillus ille Pastor, et Rector gregis Vita recludit pasca, et fontes sacros, Ovæque servat creditas, arcet lupos. Patri perennæ sit per ævum gloria,

Tibi que laudes concinamus inclytas

Æternæ Nate, sit superne Spiritus

Honor tibi, decusque: sancta jugiter

Laudetur omne Trinitas per sæculum. Amen.

✎. Tu es Petrus. ✠. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Magnif. Antiph. Tues pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.

Oratio.

DEus, qui beatum Petrum Apostolum a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: nostrorum quæsumus absolve vincula peccatorum; et omnia mala a nobis propitiatus excludere. Per Dñ.

Et fit Commem. S. Pauli Apost. Antiph. Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis, et Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

✎. Tu es vas electionis sancte Paule Apostole. ✠. Prædicator veritatis in universo mundo.

Oratio.

DEus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsu-

mus; ut cujus commemoratióem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus.

Et fit Comm. præced. Aña. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cœlo cóndidit ore, manu. **℣.** Justum.

Oratio ut supra. 646.

Postea SS. Mart. Machabæorum, Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in ságuine Agni. **℣.** Lætámmini.

Oratio.

FRatérna nos Dómine Mártýrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fidei nostræ præbeat increménta virtútum, et múltiplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus. 2.

Hymnus.

Quodcúmque in orbe néxibus revínxeris, Erit revínctum Petre in arce síderum :

Et quod resólvit hic potéstas trá dita,

Erit solútum cœli in alto vértice :

In fine mundi judicábis sæculum.

Patri perénne sit per ævum glória,

Tibique laudes concinámus ínclýtas

Ætérne Nate, sit supérne Spíritus

Honor tibi, decúsque : sancta júgiter

Laudétur omne Trínitas per sæculum. Amen.

In I. Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Leectio j. Cap. xij.

Isit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésia. Occídít autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quatuor quaterniónibus militum custodiéndum, volens post Pascha producere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiebat sine intermissiône ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℞. Simon Petre ántequam de navi vocárem

te, novi te, et super plebem meam príncipem te constítui. * Et claves regni cœlórum trá didi tibi. **℣.** Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. — Et claves.

Leectio ij.

CUM autem producturus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmíens inter duos mílites, vinctus caténis duábús : et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce, Angelus Dómini ástítit : et lumen refúlsit in habitáculo : percussóque látère Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de má nibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum : Præcíngere, et cálicea te cáligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

℞. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas : Dómine tu nosti quia amo te, * Et ánimam meam pono pro te. **℣.** Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et ánimam.

Leectio iij.

ET éxiens sequebátur eum, et nesciébát quia verum est, quod fiebat per Angelum : existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secúndam custódiám, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem : quæ ultro apértá est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum, et continuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit : Nunc scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℞. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam : * Et tibi dabo claves regni cœlórum. **℣.** Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. — Et tibi. Glória. Et.

In II. Nocturno.

Leectio iij.

Heodósio junióre imperánte, cum Eudócía ejus uxor, Jerosólymam sol-

véndi voti causa venisset, ibi multis est affecta munéribus : præ ceteris insigne donum accepit ferrea caténæ, auro, gemisque ornata : quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apóstolus ab Heróde victus fuerat. Eudócia caténam pie venerata, eam póstea Romam ad filiam Eudóxiam misit, quæ illam Pontífici máximo détulit : isque vicissim illi monstravit alteram caténam, qua, Neróne imperatore, idem Apóstolus constrictus fuerat.

℞. Dómine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. * Et extendens manum apprehendit eum, et dixit Jesus : Módicæ fidei, quare dubitasti? ✠. Cumque vidisset ventum válidum venientem, tímuit : et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Dómine salvum me fac. — Et extendens.

Lectio v.

CUM ígitur Póntifex Románam caténam cum ea, quæ Jerosólymis allata fuerat, contulisset, factum est, ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ, sed una caténa ab eodem artífice confecta

esse videretur. Quo miraculo tantus honor sacris illis vinculis haberi cœpit, ut propterea hoc nómine sancti Petri ad Vincula ecclésia, título Eudóxiæ, dedicata sit in Exquiliis, ejusque memoriæ dies ferus institutus Kaléndis Augústi.

℞. Surge Petre, et indue te vestimentis tuis, accipe fortitudinem ad salvandas Gentes. * Quia ceciderunt caténæ de manibus tuis.

✠. Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo carceris, percussóque látere Petri excitávit eum, dicens : Surge velociter. — Quia.

Lectio vj.

QUO ex témpore honos, qui eo die profanis Gentiliis celebritatibus tríbui sólitus erat, Petri vinculis haberi cœpit : quæ tacta ægros sanabant, et dæmones ejiciebant. Quo in genere anno salutis humanæ nongentesimo sexagesimo nono accidit, ut quidam comes, Othónis imperatoris familiaris, occupatus ab inmundo spiritu, seipsum dentibus dilaniaret. Quare is jussu imperatoris ad Joánnem Pontificem dúci-

tur : qui, ut sacra caténa cómitis collum áttigit, erumpens nefarius spiritus hóminem líberum reliquit : ac deinceps in Urbe sanctorum vinculorum religio propagata est.

℞. Tu es pastor óvium, princeps Apóstolorum : tibi tradidit Deus ómnia regna mundi : * Et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. ✠. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. — Et ideo. Glória Patri. Et ideo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xij. b

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsariæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi. *Ex Serm. xxix. de Sanctis, in medio.*

Solus Petrus inter Apóstolos méruit audire : Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Dignus certe, qui ædificándis in domo Dei pópulis lapis esset ad fundamentum, colúmna ad sustentáculum, clavis ad regnum. De hoc ait sermo divinus : Et ponébant, inquit, infirmos suos, ut umbra saltem transeúntis Petri obumbráret eos. Si tunc opem ferre póterat umbra córporis, quanto magis nunc plenitúdo virtútis? si tunc supplicántibus próderat aura quædam pertranseúntis, quanto magis grátia nunc permanéntis? Mérito per omnes Christi Ecclésias auro pretiósius habétur ferrum illud poenálium vinculorum.

℞. Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua : * Et tu aliquándo conversus confirma fratres tuos. ✠. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. — Et tu.

Lectio viij.

SI tam medicabilis fuit obumbratio visitántis, quanto magis caténa vincióntis? Si inánis quædam spécies vacuæ imaginis habere pótuít in se vim salutis, quanto plus de córpore meruerunt attráhere

salubritatis férreo pón-
re sacris impréssa mem-
bris víncula passiónis? Si
ad præsidia supplicán-
tium tam potens fuit ante
martyrium, quanto magis
éfficax post triúmphum?
¶ Felices illi nexus, qui
de mánicis, et compédibus
in corónam mutándi, Apó-
stolum contingéntes Már-
tyrem reddidérunt. Felícia
víncula, quæ reum suum
usque ad Christi crucem
non tam condemnátura,
quam consecratúra misé-
runt.

℞. Quem dicunt hómines
esse Fílium hóminis? dixit
Jesus discipulis suis. Res-
póndens Petrus dixit: Tu
es Christus Fílius Dei vivi.
* Et ego dico tibi, quia tu
es Petrus, et super hanc
petram adificábo Ecclé-
siam meam. * Beátus es
Simon Bar-Jóna, quia caro
et sanguis non revelávit
tibi, sed Pater meus, qui
est in cœlis. — Et ego.
Glória Patri. Et ego.

Pro SS. Machabæis.

Sermo sancti Gregórii
Nazianzénii. *Orat. xx. in
Machabæos. Lectio jr.*



Uidnam Macha-
bæi? Horum enim
nómine dies festus
præsénti frequentia cele-

brátur. Qui etsi apud mul-
tos non sunt in honóre,
quod illud certámen post
Christum non suscepé-
runt: tamen digni sunt
qui ab ómnibus honorén-
tur, quia pro pátriis légi-
buset institútis fortes con-
stantésque se præbuérunt.
Nam qui martyrium subi-
ière ante Christi passió-
nem, quid factúri erant,
si post Christum persecu-
tiónem passi fuissent,
ejúsque mortem nostræ
salútis causa suscepám,
ad imitándum propósitam
habuissent? Quorum enim
nullo propósito exémpla
talis tántaque virtus fuit,
an non ii exémplum illud
intuéntes, fórtius in cer-
támen descendissent?
Quin étiam mystica quæ-
dam et occúlta rátió mihi
quidem atque ómnibus
Dei amatóribus valde pro-
bábilis est, néminem eó-
rum, qui ante Christi ad-
véntum martyrio consum-
máti sunt, id sine fide in
Christum cónsequi po-
tuísse.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Heródes rex * appó-
suit ut apprehénderet et
Petrum: quem cum appre-

hendisset, misit in cárce-
rem, volens post Pascha
prodúcere eum pópulo.

2. Petrus quidem * ser-
vabátur in cárcere, orátio
autem fiébat sine inter-
missiône ab Ecclésia ad
Deum pro eo.

3. Dixit Angelus * ad
Petrum: Circúmda tibi
vestiméntum tuum, et sé-
querè me.

4. Misit Dóminus Ange-
lum suúm, et liberávit me
de manu Heródis, allelúia.

5. Tu es Petrus, * et su-
per hanc petram adificá-
bo Ecclésiam meam.

Capitulum. Act. xij.

Misit Heródes rex ma-
nus, ut afflígeret
quosdam de Ecclésia. Oc-
cídit autem Jacóbum fra-
trem Joánnis gládio. Vi-
dens autem quia placéret
Judæis, appósuit ut appre-
hénderet et Petrum.

Hymnus.

BEáte pastor Petre cle-
mens áccipe
Voces precántum, crimi-
númque víncula
Verbo resólve, cui poté-
stas trá dita
Aperíre terris cœlum,
apértum cláudere.
Sit Trinitáti sempitérna
glória,

Honor, potéstas, atque ju-
bilátio,

In unitáte, quæ gubernat
ómnia,

Per univérsa æternitátis
sæcula. Amen.

℞. Tu es Petrus. ℞. Et
super hanc petram adifi-
cábo Ecclésiam meam.

Ad Bened. Añæ. Quod-
cúmque ligáveris super
terram, erit ligátum et in
cœlis: et quodcúmque sól-
veris super terram, erit
solútum et in cœlis: dicit
Dóminus Simóni Petro.

Oratio.

DEus, qui beátum Pe-
trum Apóstolum a
vínculis absolútum, illæ-
sum abire fecisti: nostró-
rum quæsumus absólve
víncula peccatórum; et
ómnia mala a nobis pro-
pitiátus exclúde. Per Dñi.

Et fit Commem. S. Pauli,
Añæ. Sancte Paule Apósto-
le, prædicátor veritátis,
et Doctor Géntium, inter-
céde pro nobis ad Deum,
qui te elégit.

℞. Tu es vas electiónis
sancte Paule Apóstole.
℞. Prædicátor veritátis in
univérso mundo.

Oratio.

DEus, qui multitudinem
Géntium beáti Pauli
Apóstoli prædicatióne do-

cuisti : da nobis quæsumus; ut ejus commemorationem cõlimus, ejus apud te patrocina sentiãmus.

Deinde SS. Machabæorum, Aña. Vestri capilli cãpitis omnes numerãti sunt : nolite timere : multis passõibus meliõres estis vos.

V. Exsultãbunt.

Oratio.

FRaterna nos Dõmine Mãrtýrum tuõrum corõna lætificet : quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dõminum.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes. 655.

R. In omnem terram, * Exiit sonus eõrum. In omnem. **V.** Et in fines orbis terræ verba eõrum. Exiit. **Gloria Patri.** In omnem.

V. Constitues eos principes super omnem terram. **R.** Mẽmores erunt nõminis tui Dõmine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. xij.

Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

R. Constitues eos principes, * Super omnem terram. Constitues. **V.** Mẽmores erunt nõminis tui Dõmine. Super. **Gloria Patri.** Constitues.

V. Nimis honorãti sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortãtus est principãtus eõrum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. xij. b

ET Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere, quia misit Dõminus Angelum suum, et eripuit me de manu Herõdis, et de omni exspectatione plebis Judæõrum.

R. Nimis honorãti sunt, * Amici tui Deus. Nimis. **V.** Nimis confortãtus est principãtus eõrum. Amici tui. **Gloria Patri.** Nimis honorãti.

V. Annuntiãverunt õpera Dei. **R.** Et facta ejus intellexerunt.

IN II. VESPERIS.

Aña et Capit. de Laud. Psalmi ut in ij. Vesp. de Communi Apostol. [18]

Hymnus. Miris modis. ut in j. Vesperis. 649.

V. Tu es Petrus. **R.** Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad Magnif. Aña. Solve jubente Deo terrarum

Petre catenas, Qui facis ut pãteant cõlestia regna beãtis.

Deinde fit Comm. S. Pauli, ut in Laud. 655.

Postea Festi sequentis, et S. Stephani Papæ et Mart.

DIE II. AUGUSTI.

S. Alphonsi Mariæ de Ligorio

Episc. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] præter seq.

In utrisq. Vesp. ad Magnif.

Aña. O Doctor õptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beãte Alphõse Mariã, divinæ legis amãtor, deprecãre pro nobis Filiũ Dei. **V.** Amãvit eum.

Oratio.

Deus, qui per beãtum Alphõsum Mariã Confessõrem tuum atque Pontificem animarum zelo succensum, Ecclesiam tuam nova prole fecundasti : quæsumus, ut ejus salutãribus mõnitis edõcti, et exẽmplis roborãti, ad te pervenire feliciter valeãmus. Per Dõminum.

Pro Comm. S. Stephani I. Papæ et Mart. Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certãvit usque ad mortem, et a verbis impiõrum non

timuit : fundãtus enimerat supra firmam petram.

V. Glõria et honõre.

Oratio.

Deus, qui nos beãti Stẽphani Mãrtýris tui atque Pontificis ãnnua solemnitate lætificas : concede propitiũs, ut ejusdem etiam protectione gaudeãmus. Per Dõminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones. Sapiẽntiam. de Communi Doctorum. [90]

In II. Nocturno.

LECTIO I.

Alphõsus Mariã de Ligõrio, Neãpoli nobilibus parẽtibus natus, ab ineunte ætate non obscũra præbuit sanctitãtis indicia. Eum adhuc infãntem cum parẽtes obtulissent sancto Francisco de Hierõnymo e Societate Jesu, is bene precãtus edixit eũdem ad nonagẽsimũ usque annum perventũrum, ad episcopãlem dignitatem evẽctum iri, maximõque Ecclesiæ bono futũrum. Jam tum a pueritia a ludis abhõrens, nobiles ephẽbos ad christiãnam modẽstiam verbo et exẽmple componebat.

Adolēscens, datopiis sodalitatibus nōmine, in publicis nosocomiis ægrōtis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque juris lauream in patria Universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitæ institutum ultro dimisit. Spreto igitur præclaro conjugio sibi a patre proposito, a vita primogenitura abdicata, et ad aram Virginis de Mercēde ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus, tanto zelo irruit in vitia, ut apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum præsertim, et ruricolarum miseratus, congregationem Presbyterorum instituit sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti per

agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

℞. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℞. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus enim.

Lectio v.

NE autem a proposito unquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit, nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi prædicatione, tum scriptis sacra eruditione et pietate refertis, animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius de illius laudibus librum edidit, ac de iisdum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine in eum immisso miro splendore totus facie coruscare, et in ecstasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicæ passionis, et sacrae Eucharistiæ con-

templator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus aram oraret, vel sacrum faceret, quod nunquam omisit, præ amoris vehementia, vel seraphicis liquescēbat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitæ innocentiam, quam nulla unquam lethali labe fœdavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenulis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter hæc prophetiæ, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

℞. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℞. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

AB ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis decimitertii Pontificis auctoritate coactus, sanctæ Agathæ Gothorum Ecclesiam guber-

nandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus christianæ disciplinæ zelus, impensum in vitiis coercendis arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberális in pauperes, omnes Ecclesiæ proventus iisdem distribuēbat, ac, urgente annonæ caritate, ipsam domesticam supellectilem in alienis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, sanctimoniâles ad perfectiorem vivendi formam redēgit, suæque congregationis monialium monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves habitualésque morbos dimisso, ad alumnos suos, a quibus pauper discēsserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior, de cælestibus rebus disserēdi, aut scribēdi finem nunquam adhibuit, donec nonagenarius, Kalēdis Augusti,

anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo, Nucéria Paganórum, inter suórum alumnórum lácrymas, placidissime exspirávit. Eum inde virtútibus et miraculis clarum Pius séptimus Póntifex máximus anno millésimo octingentésimo décimo sexto Beatorum fastis, novisque fulgentem signis, Gregorius decimus séxtus in festo sanctissimæ Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono solémni ritu Sanctórum catálogo accénsuit; tandem Pius nonus Póntifex máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto universális Ecclesiæ Doctórem declarávit.

R. Iste est. [78]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. **Cap. x.**

IN illo témpore : Designávit Dóminus et alios septuaginta duos. Et misit illos binos ante faciém suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia xvij. in Evang.

Dominus et Salvator noster, fratres caríssimi, aliquando nos sermónibus, aliquando vero opéribus ádmonet. Ipsa etenim facta ejus, præcepta sunt : quia dum áliquid tácius facit, quid ágere debeamus innotescit. Ecce enim binos in prædicatióem discipulos mittit : quia duo sunt præcepta caritátis, Dei videlicet amor, et próximi : et minus, quam inter duos, caritas haberi non potest. Nemo enim próprie ad semetipsum habere caritatem dicitur : sed diléctio in álterum tendit, ut caritas esse possit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio viij.

ECce enim binos ad prædicandum discipulos Dóminus mittit ; quatenus hoc nobis táci-

tus innuat, quia qui caritatem erga álterum non habet, prædicatiónis officium suscipere nullatenus debet. Bene autem dicitur, quia misit eos ante faciém suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Prædicatores enim suos Dóminus séquitur : quia prædicatio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitaculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcurrunt : atque per hoc veritas in mente suscipitur.

R. In médio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spiritu sapiéntiæ et intelléctus. **V.** Jucunditatem et exsultatióem thesaurizávit super eum. — Et implévit. **Gloria Patri.** Et implévit.

**Pro S. Stephano
Papa et Martyre.**

Lectio ix.

Stéphanus Romanus pontificatum gessit Valeriano et Galliëno imperatóribus. Instituit ut Sacerdotes et Diáconi nusquam sacris vestibus, nisi in ecclesia uterentur. Baptizatos ab hæreticis, iterum baptizá-

ri vétuit, rescribens sancto Cypriano verbis illis : Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Multos etiam ad Christum convértit : in iis Olympium tribunum cum uxóre Exupéria, et filio Theodúlo, item Nemesium tribunum cum tota familia, óculis Lucilæ ejus filiæ restitútis : qui omnes Jesu Christi Mártyres fuérunt. Sed vehementius jam ingravescente persecutióne imperatórum, Stéphanus, convocáto clero, ad martyrium suos hortabátur, in crip-tisque Mártyrum assidue Missas, et concilia celebrábat. Qui cum aliquando raptus esset ab infidelibus ad templum Martis, ut ei sacrificáret, libere negávit, se dæmónibus eum honórem velle tribuere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terræ mótu concidit, templumque contrémuit. Quare ómnibus affugiéntibus, qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in cœmetérium Lucinæ : quos divinis præceptis instruens, sacraménto corpóris Christi comunicávit : ibique dum Missarum so-

lémnia p̄rficit, adveniētib^{us} iterum imperatorum satellitibus, ei in sua sede caput absconditur. Corpus cum eadem sede conspersa Mártiris s̄anguine, a cl̄ericis sepultum est in cœmetério Callisti, quarto Nonas Augústi. Vixit in pontificátu annos tres, menses tres, dies viginti duos. Hábit ordinatiōnes duas mense Decembri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Episcopos tres.

Te Deum laudámus. 18.

Si hoc Festum alicubi alia die celebretur, et in ea non occurrat Simplex habens Lection. propriam, ix. Lectio erit. Hinc namque. **ut in Communi Evangelistarum.** [28]

In Laud. fit Commem. simpl. Añā. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custodit eam.

✠. Justus ut palma.

In Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE III. AUGUSTI.

In Inventione S. Stephani Protomartyris. Semiduplex.

Si j. Vesp. dicendæ sint, Añæ et Capit. de Lau-

dibus. 667. Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apostolorum. [2]

Hymnus de Communi unius Martyris. [29]

Ad Magnif. Añā. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciēbat signa magna in pópulo.

✠. Glória et honóre.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimicos dilígere : quia ejus Inventiōnem celebrámus, qui novit etiám pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

AD MATUTINUM.

Omnia de Comm. unius Martyris [30] præter Lectiones et Responsoria.

In I. Nocturno.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. vij. f et viij.

Eura cervice, et in circumcisis córdibus, et áuribus, vos semper Sp̄ritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetárum non sunt persecúti patres vestri? Et occidérunt eos, qui prænuntiábant de advén-

tu Justi, cujus vos nunc proditóres, et homicidæ fuístis : qui accepístis legem in dispositiōe Angelórum, et non custodístis. Audiētes autem hæc dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum.

✠. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciēbat prodígia et signa magna in pópulo. ✠. Surrexérunt quidam de synagóga disputántes cum Stéphanó, et non pótterant resistere sapiéntiæ, et Sp̄ritui, qui loquebátur. — Faciēbat.

Lectio ij.

CUM autem esset plenus Sp̄ritu sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait : Ecce video cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas, et impetum fecérunt unánimiter in eum. Et ejiciētes eum extra civitátem lapidábant : et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescētis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem :

Dómine Jesu súscipe sp̄ritum meum.

✠. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio : ✠. Et intuebántur vultum ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos. ✠. Plenus grátia, et fortitúdine faciēbat prodígia et signa magna in pópulo. — Et.

Lectio iij.

Positis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixisset, obdormívit in Dómino. Saulus autem erat consentiēti neci ejus. Facta est autem in illa die persecútiō magna in Ecclésia, quæ erat Jerosólymis : et omnes dispersi sunt per regiōnes Judææ et Samaríæ præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

✠. Intuens in cœlum beátus Stéphanus, vidit glóriam Dei, et ait : ✠. Ecce video cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris virtútis Dei. ✠. Cum autem esset Stéphanus plenus Sp̄ritu sancto, inténdens in cœlum vidit glóriam Dei,

et ait. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

In II. Nocturno.

Lectio III.

Sancetorum corpora Stephani Protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, et Abibonis, quae diu in obscuro, ac sordido loco jacuerant, Honorio imperatore, Luciano Presbytero divinitus admonito, inventa sunt prope Jerosolymam. Cui Gamaliel cum in somnis apparuisset, gravi quadam et praecleara senis specie, locum jacentium corporum commonstravit, imperans, ut Joannem Jerosolymitanum Antistitem adiret, agereturque cum eo, ut honestius illa corpora sepe-lerentur.

R. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: * Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum: et ne staturas illis hoc peccatum. *V.* Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens. — Dñe.

Lectio IV.

Quibus auditis Jerosolymorum Antistes, finimarum urbium Episcopis, Presbyterisque convocatis, ad locum pergit:

defossos loculos invenit, unde suavissimus odor efflabatur. Cujus rei fama commota magna hominum multitudo eo convenit, multique ex variis morbis aegroti ac debiles, sani et integri domum redierunt. Sacrum autem sancti Stephani corpus, quod summa tunc celebritate in sanctam ecclesiam Sion illatum est, sub Theodosio juniore Constantinopolim, inde Romam Pelagio primo summo Pontifice translatum, in agro Verano in sepulcro sancti Laurentii Martyris collocatum est.

R. Impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejecerunt eum extra civitatem, invocantem et dicentem: * Domine Jesu, accipe spiritum meum. *V.* Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus: et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem. — Domine. Ex libro sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lib. 22, cap. viij. circa med.

Lectio V.

Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente Projecto reliquias Marty-

ris gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnae multitudinis concursus, et occursus. Ibi caeca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, oravit: flores, quos ferabat, dedit: recepit, oculis admovit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, praibat exultans, viam carpens, et viae ducem ulterius non requirens. Memorati memoriam Martyris, quae posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi coloniae vicinum est, ejusdem loci Lucillus Episcopus, populo praecedente atque sequente, portabat: fistula, cujus molestia jamdiu laboraverat, et familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur manus, illius pie sarcinae vectatione, repente sanata est.

R. Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent: * At ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriae. *V.* Continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. — At ille. Glória Patri. At ille.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VIJ. Cap. xxij. d

In illo tempore: Dicebat Jesus Scribis et Phariseis: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas: et ex illis occidetis, et crucifigitis. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri. *Lib. 4. Comm.*

in cap. xxij. Matthaei.

Hoc quod antea dixeramus: Implente mensuram patrum vestrorum; ad personam Domini pertinere, eo quod occidendus esset ab eis: potest et ad discipulos ejus referri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas. Simulque observa, juxta Apostolum scribentem ad Corinthios, varia esse dona discipulorum Christi: alios Prophetas, qui ventura praedicent: alios sapientes, qui noverrunt quando debeant proferre sermonem: alios Scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apostolorum discipuli.

℞. Stéphanus servus Dei, quem lapidábant Judæi, vidit cœlos apértos : vidit et introívit : * Beátus homo, cui cœli patébant. ℞. Cum ígitur saxórum crepitántium túrbine quaterétur, inter aethéreos aulae cœlestis sinus divína ei cláritas fulsit. — Beátus.

Lectio viij.

Quærimus, quis iste sit Zachariás filius Barachíæ : quia multos légitimus Zachariás. Et ne líbera nobis tribuerétur erróris facultas, ádditum est : Quem occidístis inter templum et altáre. In diversis diversa legi : et débeo singulórum opiniónes póne-re. Alii Zachariám filium Barachíæ dicunt, qui in duódecim Prophétis undécimus est : patrisque in eo nomen conséntit ; sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scriptúra non lóquitur : máxime cum tempóribusejus vix ruínæ templi fúerint. Alii Zachariám patrem Joánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris prædicáverit advéntum.

℞. Patefactæ sunt jánuæ

cœli Christi Mártýri beáto Stéphano, qui in número Mártýrum invéntus est primus : * Et ideo triúmphant in cœlis coronátus.

℞. Mortem enim, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. — Et ideo. Glória Patri. Et ideo.

Lectio ix.

Alii istum volunt esse Zachariám, qui occísus est a Joas rege Judæ inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum, quod ille Zachariás non sit filius Barachíæ, sed filius Joiadæ sacerdotis : unde et Scriptúra refert : Non fuit recordátus Joas patris ejus Joiadæ, quia sibi fecisset bona. Cum ergo et Zachariám teneámus, et occisiónis conséntiat locus : quærimus, quare Barachíæ dicátur filius, et non Joiadæ? Barachía lingua nostra Benedictus Dómini dicitur, et sacerdotis Joiadæ justítia Hebræo nómine demonstrátur. In Evangélio, quo utúntur Nazaréni, pro filio Barachíæ, filium Joiadæ reperimus scriptum.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

1. Lapidavérunt Stéphanum, * et ipse invocábat Dóminum, dicens : Ne stá-tuas illis hoc peccátum.

2. Lápides torréntis * illi dulces fuérunt : ipsum sequúntur omnes ánimæ justæ.

3. Adhæsit ánimá mea * post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

4. Stéphanus vidit * cœlos apértos, vidit et introívit : beátus homo, cui cœli patébant.

5. Ecce vídeo * cœlos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei.

Capítulum. Act. vj. b

Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus.

Invicte Martyr, únicum Patris secútus Fílium, Victis triúmphas hóstibus, Victor fruens cœlestibus. Tui precátus múnere Nostrum reátum dilue, Arcens mali contágium, Vita repélens tædium. Solúta sunt jam víncula Tui sacráti córporis : Nos solve vinclis sæculi, Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Fílio, Cum Spíritu Paráclito, Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℞. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℞. Et fecérunt planctum magnum super eum.

Ad Bened. Añæ. Stéphanus autem * plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimicos diligere : quia ejus Inventiõem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

AD TERTIAM.

Capit. ut ad Laudes.

℞. br. Glória et honóre, * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre. ℞. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℞. Posuísti Dómine super caput ejus. ℞. Coronam de lapide pretiósio.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. vj. c.

Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia, disputantes cum Stéphano : et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur. **R.** br. Posuisti Dómine, * Super caput ejus. Posuisti. **V.** Coronam de lapide pretioso. Super. **G**loria Patri. Posuisti.

V. Magna est glória ejus in salutari tuo. **R.** Glóriam et magnum decórem impones super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. vij. g.

Positis autem génibus, clamavit voce magna, dicens : Dómine ne státuas illi hoc peccátum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Dómino.

R. br. Magna est glória ejus, * In salutari tuo. Magna. **V.** Glóriam et magnum decórem impones super eum. In salutari. **G**loria Patri. Magna est.

V. Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Vesperæ de sequenti.

Si ij. Vesperæ dicendæ sint integræ, Añæ et Capitulum de Laudibus. 667. Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apostol. [2] et loco ultimi Ps. Crédidi. [43] Hymn. de Comm. [43] V. et Añæ ad Magnif. ut infra.

DIE IV. AUGUSTI.

S. Dominici

Confessoris. Dupl. majus. Omnia de Communi Conf. non Pont. [97] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui Ecclesiæ tuam beati Dominici Confessoris tui illuminare dignatus es méritis et doctrinis : concède, ut ejus intercessióne temporálibus non destituatur auxiliis, et spirituálibus semper proficiat incrementis. Per Dóminum.

Commem. præced. Añæ. Sepeliérunt Stéphano viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

V. Stéphano vidit cælos apertos. **R.** Vidit et introivit : beatus homo, cui cæli patébant.

Oratio. Da nobis. 667.

In j. Nocturno, Lectiones. Beatus vir. de Communi ij. loco. [112]

In II. Nocturno.

Lectio II.

Dominicus, Calarógæ in Hispania ex nobili Gusmanórum familia natus, Paléntiæ liberalibus disciplinis et theológiæ óperam dedit : quo in stúdio cum plúrimum profecisset, prius Oxoménsis Ecclesiæ canónicus reguláris, deinde ordinis fratrum Prædicatórum auctor fuit. Hujus mater grávida sibi visa est in quiete continere in alvo cátulum ore præferentem facem, qua editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Quo sómno significabatur, fore ut splendóre sanctitátis ac doctrinæ, gentes ad christiánam pietátem inflammarentur. Veritátem exitus comprobavit : id enim et præstitit per se, et per sui ordinis sócios deinceps est consecutus.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum :

* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio III.

Hujus autem ingénium enituit in invertendis hæreticis, qui perniciosis erroribus Tolosates pervertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Póstea Romam venit ad Lateranense concílium cum Episcopo Tolosano, ut ordo, quem instituerat, ab Innocéntio tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, Dominicus hortátu Pontíficis ad suos revertitur, ut sibi régulam deligeret. Romam rediens, ab Honorio tertio, qui proximus Innocéntio successerat, confirmationem ordinis Prædicatórum impetrat. Romæ autem duo instituit monasteria, álterum virórum, mulierum álterum. Tres étiam mórtuos ad vitam revocavit, multa que ália edidit miracula, quibus ordo Prædicatórum miríficè propagári cœpit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stollam glóriæ induit eum,

* Et ad portas paradisi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícá fidei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vij.

Verum cum ejus ópera ubique terrarum monasteria jam ædificarentur, innumerabilesque homines religiosam ac piam vitam instituerent, Bononiæ anno Christi ducentésimo vigésimo primo supra millésimum, in febrem incidit : ex qua cum se moriturum intelligeret, convocatis fratribus, et alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam et integritatem cohortatus est. Postrémo caritatem, humilitatem, paupertatem, tamquam certum patrimonium eis testamento reliquit : Fratribusque orantibus, in illis verbis, Subvenite sancti Dei, occurrere Angeli, obdormivit in Domino, octavo Idus Augusti : quem postea Gregorius nonus Pontifex retulit in Sanctorum numerum.

R. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia.
Sancti Evangelii, fratres,
de Communi. [108]

Vesperæ de sequenti.

DIE V. AUGUSTI.

S. Mariæ ad Nives.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B.M.V.

per Annum [191] præter
Lectiones sequentes.

Pro Commem. præced.
Añã. Hic vir despiciens
mundum et terræna, tri-
umphans, divitias cælo
cõdidit ore, manu.

℞. Justum deduxit.

Oratio ut supra. 668.

In II. Nocturno.**Lectio iij.**

Ibèrio summo Pontifice, Joannes patricius Romanus et uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum heredes relinquerent, suam hereditatem sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt, ab ea summis precibus assidue petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces et vota ex animo facta beata Virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobavit.

R. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion : quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. — Dedi.

Lectio v.

Nonis igitur Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei Mater separatim Joannem et conjugem in somnis admovuit, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur : se enim ita velle ab ipsis heredem institui. Quod Joannes ad Libèrium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit.

R. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. — Viderunt.

Lectio vij.

Quare solènni sacerdotum et populi supplicatione ad collem venit nive coopertum, et in eo locum ecclesiæ designavit, quæ Joannis et uxoris pecunia exstructa est, postea a Xysto tertio restituta. Variis nominibus primum est appellata, basilica Libèrii, sancta Maria ad Præsepe. Sed cum multæ jam essent in Urbe ecclesiæ sub nomine sanctæ Mariæ Virginis : ut quæ basilica novitate miraculi ac dignitate ceteris ejusdem nominis basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, ecclesia sanctæ Mariæ majoris dicta est. Cujus dedicationis memoria ex nive, quæ hac die mirabiliter cecidit, anniversaria celebritate colitur.

R. Ornata[m]. [201]

Vesperæ de sequenti.

